

tiam in patria non consummari per additionem alicujus entitatis in ipsa, sed per solam additionem visionis beatæ, quod verum non esset si aliqua nova intensio gratiæ in ingressu beatitudinis fieret. Postea vero, disputatione 215, capite 4, numer. 21, dicit se libenter concedere Deum ex affluentia gratitudinis aliquid magis addere gloriæ, quam merita Sanctorum condigne postulent, quia pium est hoc credere de divina bonitate. Unde necesse est ut pie etiam credat gratiam in patria non consummari sine additione alicujus modi intensivi, seu entitatis realis per aliquos gradus intensivis. At vero Ægydius a Præsentatione, libro quarto de Beatitude, quæstion. 3, numer. 20, certissimum esse dicit gratiam in Patriæ ingressu non intendi, illam vero certitudinem solum ex eo colligit, quia visio beata non augetur ultra opera, quoniam solum datur per modum præmii et coronæ justitiæ; gratia autem non augetur, nisi cum proportione ad visionem. Hæc vero ratio non convincit tantam certitudinem, quia, licet Scriptura doceat vitam æternam dari ut coronam justitiæ et præmium meritorum, non ita expresse negat aliquod augmentum vitæ æternæ dari ex sola misericordia et munificentia Dei. Præsertim, quia in hoc ipso augmento, quamvis liberali, potest servari aliqua proportio ad merita, ut paulo antea dicebam, nimirum, majori liberalitate utendo cum eo qui potiora habet merita; sic enim verum erit quod Deus unicuique reddet secundum opera sua, sive præmium reddat, sive gratiam superaddat, utrumque enim faciet cum aliquo respectu ad operum proportionem, unum per respectum justitiæ, aliud per respectum congruitatis et decentiæ. Sicut dicunt Theologi Deum punire citra condignum, et nihilominus in pœnis reddendis proportionem servare, quia in pœnarum mitigatione etiam servat proportionem ad opera.

10. *Verisimilior opinio negans.*—Ejus ratio ex Rom. 2.—*Responsio ad locum citatum non satisfacit.*—Quamvis autem hæc ita sint, nihilominus, quantum conjectura uti licet, verisimilius et probabilius judico non dari sanctis tale augmentum gloriæ gratuitum, et consequenter nec gratiæ intensivam ultra receptam in via. Ratio est, quia non solum non habemus in Scriptura vel Ecclesiastica traditione fundamentum ad hoc asserendum, sed potius habemus in Scriptura frequentem loquendi modum non parum repugnantem, ut est ille Pauli ad Roman. 2: *Qui reddet uni-*

cuique secundum opera ejus. Dicunt aliqui solum loqui Paulum de partitione veluti generali inter bonos et malos, quia illis reddet secundum opera vel præmium vel pœnam. Sed non placent, dixerat enim Paulus: *Secundum duritiam tuam et impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Thesaurizare autem iram, ut notavit Gregorius, homil. 13 in Ezechiel, nihil est aliud quam augendo delicta augere pœnam et meritum ejus. Cum ergo subdit Paulus: *Qui (scilicet Deus) reddet unicuique secundum opera ejus,* non solum intelligit in genere secundum opera bona vel mala, sed etiam in gradu, seu proportione ad opera, eorumque quantitatem malitiæ vel bonitatis, alias non recte inde ostenderet peccatorem secundum duritiam suam thesaurizare sibi iram. Neque huic sensui verba sequentia repugnant, sed potius illum confirmant. Sequitur enim, et dicit: *Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem querunt, vitam æternam, iis autem qui sunt ex contentione, etc., ira et indignatio.* Ubi quod ait, *secundum patientiam boni operis,* non tantum significat vitam æternam esse reddendam patienter querentibus illam, sed etiam significat esse reddendam secundum gradum et modum patientiæ, et bonorum operum, hanc enim vim habet illa particula *secundum*, ut ex contextu et intentione Pauli manifestum est, et ex loco Psalm. 61, ex quo Paulus illam sententiam sumpsit: *Tu reddes unicuique juxta opera sua,* vel certe ex verbis Christi, Matth. 16: *Filius hominis veniet in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Et simile est quod dicitur Apocalyps. 22: *Ecce ego venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera ejus.* Idque magis explicans Paulus 1 Corinth. 3, ait: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem,* et 2 ad Corinth. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

11. *Concluditur non solum daturum Deum cuique secundum opera, sed non daturum plus.*—Ex his ergo et similibus testimoniis toties in Scriptura repetitis, non solum affirmativam regulam colligimus, daturum scilicet Deum vitam æternam cum perfecta et condigna meritorum retributione, sed etiam exclusivam (ut ita dicam) regulam accipimus, nimirum, merita hujus vitæ esse unicam et adæquatam

rationem proximam, propter quam gloria confertur, ita ut nihil illius conferatur, nisi juxta proportionem meritorum viæ; quando enim Scriptura aliquid definite tradit sub aliqua certa mensura, numero, aut alia simili ratione, semperque tali præciso modo loquitur, non solum affirmationem continere solet, sed etiam præcisionem et exclusionem alterius modi. Ut, quia docet tres esse personas in Trinitate, simul docere censetur non esse plures. Et quia docet sanctificari homines in hac vita per sacramenta, vel opera ex gratia facta, recte intelligimus etiam docere non esse alium modum sanctificationis, neque Deum secundum legem ordinariam dare viatoribus sanctitatem, vel augmentum ejus ex mera voluntate, sine aliquo ex dictis mediis. Sic ergo, quia nunquam Scriptura docet gloriæ modum aut quantitatem dari, nisi per proportionem ad merita vitæ, merito intelligimus illam esse unicam mensuram gloriæ, et virtute excludi liberale augmentum gloriæ sine ullo respectu ad merita vitæ, saltem secundum ordinariam legem, per quam Deus non arctatur, quominus possit privilegia specialia concedere, quamvis de his etiam nihil possit a nobis temere et sine fundamento affirmari. Et hoc etiam confirmat illud Apostoli, 2 Corinth. 9: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Et illa parabola mnarum, Luc. 19, ubi præmium redditur cum proportione ad lucrum, nam qui mna accepta decem lucratus fuit, potestatem super decem civitates accepit, et qui lucratus est quinque, totidem civitatibus præficitur; significat ergo Dominus in gloria retribuenda proportionem ad merita omnino servari. Cum autem de meritis in hac resolutione loquimur, non excludimus quin multi in cœlo habituri sint gloriam sine propriis meritis, sed loquimur de iis qui propria merita habere potuerunt, et propter ea gloriam recipiunt. Cum proportione autem intelligenda est doctrina de reliquis, qui propter sola Christi merita sibi applicata salutem accipient; nam illi etiam non accipient gloriam in futura vita, nisi juxta mensuram gratiæ, quam in via per applicationem meritorum Christi receperunt, quia solus status viæ et solus sacramentorum usus ad illum sanctificationis modum, et illam meritorum Christi applicationem concessus est.

12. *Ad axioma initio allatum prima responsio.*—Neque huic resolutioni obstat axioma

illud, Deum dare præmium ultra condignum, potest enim plures habere sensus veros, etiamsi gratia vel gloria essentialis ultra merita non augeatur. Primus sensus est, præmium illud esse ultra condignum, quia in meritis justorum, etiam ut a gratia procedunt, nulla est æqualitas vel condigna proportio cum illo præmio, sed ex sola Dei ordinatione et acceptatione redditur, ac si talis proportio interveniret. In hoc sensu loquuntur multi ex Scholasticis citatis, præsertim Durandus et Scotus, et aliqui moderni supra, capit. 1 et 17, allegati. Inter quos notari potest discrimen. Nam Durandus, etiam posita ordinatione Dei, negat meritum esse condignum, juxta quam sententiam absolute verum est Deum etiam nunc dare præmium ultra condignum. Alii vero putant opus, quod ex se non esset condignum, per Dei ordinationem fieri condignum, et ideo, posita ordinatione, jam non præmiare ultra condignum, licet respectu operis secundum totam suam dignitatem spectati præmii ultra condignum. Et hoc sentiunt Scotus et aliqui Nominales, d. cap. 17 citati, et Vega, d. quæst. 5, ad 2. Unde consequenter dicit, si Deus certa lege statuisset acceptare justorum opera ad majorem gloriam, quam nunc acceptat, non magis futurum fuisse præmium ultra condignum, quam nunc, quia ante Dei ordinationem utrumque excedit, post illam vero utrumque est condignum. Sed hæc licet consequenter dicantur, falso fundamento nituntur, ut d. c. 1 et 17 ostensum est.

13. *Secunda responsio.*—*Tertia responsio.*—Secundus sensus axiomatis est, ut in illo dogmate comparatio fiat inter præmium gloriæ, et opera ac labores et passiones hujus vitæ secundum se spectata, ut sunt opera quædam humana et libera. Et hoc modo merito dicitur præmium illud esse ultra condignum, non solum in esse rei (ut sic dicam), sed etiam in esse meriti ac præmii, quia opera sic spectata non habent proportionem cum tali præmio, ut in superioribus visum est. Et sic opponitur illa sententia errori Baii, dicentis Deum in judicio non reddere operibus majus præmium, quam ipsa ex se, quatenus sunt quædam legis obedientia, mereantur accipere. Fundatur autem in illo sensu axioma illud in testimonio Pauli ad Roman. 8: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam;* et 2 ad Corinth. 4: *Quod momentaneum est et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in*

nobis. Hæc enim loca ita communiter abpositoribus ibi intelliguntur. Tertius sensus axiomatis est, ut ibi comparatio fiat inter gloriam et opera justorum etiam ut sunt a gratia, et ab Spiritu Sancto, et sic præmium dicitur esse ultra condignum, si comparetur ad opera meritoria in esse rei, id est, quoad formales proprietates, quæ in gloria et in operibus meritoriis inveniuntur, non tamen inde fit ut sit supra condignum, si in ratione præmii et meriti comparetur, nam, licet in proprietatibus realibus ac physicis, id est, in specie virtutis, vel in intensione, duratione, vel in comparatione doloris ad gaudium, et similibus, opus meritorium inferius sit, nihilominus in proportione, et valore morali ad meritum requisito, potest esse condignum, ut in ipsamet Christi passione videre licet; nam si dolor ejus vel ignominia cum gaudio et claritate cœlestis gloriæ comparetur, profecto excedit magnitudo gloriæ acerbiter passionis. Et nihilominus in valore meriti non solum exæquat, sed etiam infinite excedit Christi passio gloriam omnium beatorum. Ita ergo opera justorum, ut a gratia procedunt, licet in formali et quasi physica comparatione inferiora sint, in proportione et valore meriti condignitatem habent, ut in principio hujus libri declaratum est.

14. *Quarta responsio.* — Quartus sensus illius axiomatis esse potest, quod Deus præmium det ultra condignum, intra latitudinem tamen justitiæ. Nam si is qui emit, cum possit rem mitissimo pretio comparare, velit solvere rigorosum et summum, merito dici potest ultra condignum, id est, ultra æquitatis debitum rem solvere voluisse. Sic ergo Deus potuit fortasse intra latitudinem illius præmii minori gloria, vel minori gratiæ augmento condigne retribuere meritis justorum, nihilominus tamen voluit mensuram bonam, et coagitatam, ac superfluentem illis promittere, intra latitudinem tamen justæ mensuræ, ut supra explicabamus, et ipsa metaphora indicat; hoc ergo satis esse poterit ut ultra condignum præmium conferre dicatur. Suaderique potest hic sensus ex alia parte illius axiomatis, quod, *Deus punit citra condignum.* Nam optime in hunc modum explicatur quod, cum Deus posset juste pro singulis peccatis graviores pœnas taxare, nihilominus ex benignitate mitigavit illas, et minus graves imposuit; et hac ratione dicitur punire citra condignam, quam taxare potuisset, non vero aliquid diminuendo de pœna quæ taxata est,

ut omnes docent. Quia lex illa ex absoluto Dei decreto definita est, et ideo non mutatur, juxta illud Matthæi quinto: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*; et Jacob. 2: *Judicium sine misericordia, ei qui non facit misericordiam.* Et ita est res certa de lege, in qua posset quidem Deus dispensare ex privilegio, si vellet, tamen id fecisse sine temeritate affirmari non potest, nisi ex revelatione constet. Nihilominus tamen pœna quam de facto singulis peccatis taxavit, justa et condigna est, quia hæc pœnæ æqualitas non est indivisibilis, sed moralem habet latitudinem et varietatem, ideoque, licet mitior pœna taxata sit, potest moraliter justa et condigna esse, et ita diversis respectibus erit digna, et citra condignum; ergo, servata proportione, potest dici meritum, licet condignum sit, esse ultra condignum comparatione minoris præmii, quod posset etiam esse sufficienter dignum. Et fortasse D. Thomas, Bonaventura et Richardus, in quarto, in hoc sensu locuti sunt.

15. *Quinta responsio.* — Quintus sensus esse potest, ut præmium reddatur ultra condignum, non quoad essentialia, id est, quoad augmentum gratiæ, vel essentialis beatitudinis, sed quoad accidentalem gloriam. Dat enim Deus beatis plura dona pertinentia ad perfectionem accidentalem status beatifici, sine quibus posset sufficientissime præmiare merita per solam sui visionem, amorem et fruitionem, quæ quidem dona per se magna sunt, et insignium operum præmia condigna esse possent, et ideo ratione illorum potest simpliciter dici, Deum conferre præmium ultra condignum. Qui sensus, sive sit a Scholasticis allegatis intentus, sive non, per se probabilis est. Oportet tamen advertere dona gloriæ accidentalis non esse ita extrinseca, et gratis addita essentiali gloriæ, quin aliquo modo sint illi debita, saltem ex quadam decencia, ita ut possint dici illi connaturalia; nam animæ videnti Deum, eumque perfecte diligenti, debetur omnis decens ornatus, et perfectio voluntatis et intellectus, et animæ sic gloriosæ corpus etiam gloriosum debetur, et corpori glorioso locus etiam proportionatus præparari debuit, et sic de cæteris. Et quamvis in hac etiam perfectione accidentali posset considerari etiam latitudo et varietas, ita ut posset minor ornatus gloriæ accidentalis esse sufficiens, nihilominus id totum decoris et accidentalis perfectionis, quod Deus essentiali gloriæ conjunxit, proportionem de-

bitam cum essentiali gloria non excedit. Unde fit ut ipsa accidentalis gloria dici non possit omnino extra meritum condignum justorum, quia merendo essentialem gloriam, consequenter accidentalem meruerunt, ut supra declaravi, ideoque non potest de facto ita ultra condignum existimari, ac si omnino liberaliter et sine respectu ad condigna merita conferatur; sed tantum quia potuisset Deus, salva justitia, minorem vel etiam nullum gloriæ accidentalis ornatum essentiali gloriæ conjungere. Et hic sensus ad præcedentem reducitur, solumque differt quia in accidentali gloria considerat, quod in illo quarto sensu etiam de gradibus essentialis gloriæ dicebatur.

16. *Ultima responsio.* — Sexto, potest alius sensus excogitari, videlicet, ut Deus dicatur præmiare ultra condignum, non tantum in qualitate vel quantitate præmii, sed etiam in modo se obligandi ad conferendum illud. Hoc enim et ad dignitatem meriti et ad moralem æstimationem conferre videtur. Declaratur, quia homo etiam in gratia constitutus nunquam posset Deum suis operibus sibi debitorem facere, eumve ad conferendum præmium condignum ex justitia obligare, nisi Deus ipse sua benigna, ac liberali, et antecedenti promissione, seu pacto, hominibus obligari voluisset, sub conditione operum illis certam et condignam mercedem promittendo. Ergo merito dici potest, in modo reddendi præmium, condignitatem operum excedere. Imo consequenter hoc redundat in ipsum præmium, ut ex gratia quadam, ac subinde ultra condignum dari censeatur. Potuisset enim Deus omnia hominum opera, tanquam obsequia sibi debita, nullo præmio pro eis dato, recipere, imo ex ipsis bonis operibus, tanquam ex donis a se datis gratiam postulare, et ideo ultra condignum fuit, se ad reddendum pro illis præmium obligare. Et hoc significavit Cœlestinus Papa, epistola prima, capitulo duodecimo, et sumitur ex illo Concilii Tridentini, sessione sexta, capite decimo sexto, dicentis, *tantam esse Dei bonitatem, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Quatenus ergo præmium illud est ultra debitum, dici potest ultra condignum. Hoc autem in sensu diviso (ut sic dicam), non in composito, intelligendum est, id est, considerando præcise dignitatem nostrorum operum, etiam ut a gratia proficiscentium, præciso divino pacto, nam illo adjuncto jam servatur condignitas. Et ita totus excessus seu liberalitas in pro-

missione antecedenti consistit, illa enim non poterat esse hominum operibus debita, cum sit prior illis, neque sine illa potuissent nostra opera Deum ex justitia obligare, ut supra ostendimus: illa autem posita, verum jus justitiæ acquirimus, et ideo ex hypothesi, seu in sensu composito, etiam in hoc servatur condignitas, licet simpliciter in liberalitate fundetur. Quod ad explicanda nonnulla Sanctorum et Theologorum dicta notari potest.

17. *Expédiuntur Patrum dicta in num. 2.* — Superest ergo ut ad testimonia Sanctorum Patrum, quatenus contra assertionem principalem allegari possunt, respondeamus. Et imprimis Gregorius et Fulgentius sine dubio in secundo vel tertio sensu locuti sunt, ut ex contextu eorum, et ex eo loco Pauli, quem allegant, manifestum est. Atque eodem modo aliqui Hilarius exponunt, et est probabilis expositio, præsertim si postrema ejus verba statim citanda spectentur. Quia vero non dicit: *Plus præmii*, sed: *plus meriti consequetur*, responderi aliter potest, Hilarius non dicere, quod ex misericordia Dei præmium excedat meritum, sed quod licet vita justorum per justitiæ operationes probabilior sit, per Dei misericordiam, id est, per gratiam Dei plus meriti, quam ex industria vel diligentia ipsorum justorum consequetur, vel quia plus valoris habet a gratia, quam a voluntate justorum, vel quia Deus ex sua misericordia eum, qui probabiliter vivit ex priori gratia, plus semper excitat et adjuvat, *ut plus meriti consequatur*, utique in hac vita. Unde paulo ante dixerat quod, *justitiæ opera ad perfectæ beatitudinis meritum non sufficiunt, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum et motuum vitia non reputet.* Ubi clare loquitur de misericordia, quam Deus in hac vita justis confert, vel eorum venialia peccata remittendo, vel eorum negligentias et animi remissionem tolerando, et ita dissimulando ut, illis non obstantibus, eos ad proficiendum in meritis provocet et adjuvet. Et hinc ait dictum esse a Propheta: *Melior est misericordia tua super vitas*, et tunc subjungit verba allegata: *Quia, quamvis probabilis per justitiæ operationem vita justorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Et operationem justitiæ in tantum misericordia Dei muneratur, ut miserans justitiæ voluntatem, æternitatis quoque suæ justum quemque tribuat esse participem.* In quibus verbis indicat etiam priorem sensum, videlicet, quod illa æternitatis partici-

patio, respectu temporalis voluntatis humanæ, quamvis justæ, excedens esse videatur, nisi ille excessus per gratiam Dei suppleatur, ipsis nimirum operibus condignum valorem meriti tribuendo. De aliis autem Patribus et Doctoribus paulo post dicam.

18. *Ad D. Basilium* — Ad Basilium, respondeo in prioribus verbis loqui de iudicio, et misericordia, quæ Deus in hac vita misericordibus exhibet; sic enim ait, *erudiri nos per Scripturas, quemadmodum nec misericordia Dei sine iudicio, nec iudicium sine misericordia fit, quia nostræ infirmitati commensuratur, et benignitatis affectu nos castigat*. Non loquitur ergo de retributione futura, sed de hujus vitæ providentia. Quod si sententia illa referatur etiam ad futuram retributionem, coincidit cum illa generali Theologorum sententia, quod Deus, etiam in puniendis malis et præmiandis justis, misericordiam simul cum justitia servat, quæ multis rationibus vera est, etiam in præmio justorum, etiamsi meritum non excedat, ut satis ex dictis intelligi potest. In ultimis autem verbis, in quibus aperte loquitur de justorum futura retributione, ultimum sensum a nobis expositum aperte indicat. Dicit enim præmium illud non reddi ut operibus debitum, utique ex virtute ipsorum operum, sed ex munificentissima Dei gratia, quæ liberalem promissionem tanti præmii suæ gratiæ adjunxit; illa enim est munificentissima gratia, cui (ut ait) spes justorum de Deo bene merentium innititur. Quæ expositio est facillima, juxta translationem Godofredi Tilmani, quam in nostro latino codice habemus (Antwerp. 1569). Juxta aliam vero translationem, loco illorum verborum: *Non tanquam debitum operibus redditum*, habetur: *Non ob eorum merita factorum*, quæ verba obscuriora sunt, quia non solum debitum vel condignitatem, sed omnino meritum videntur excludere, quod alienum est a veritate, et a doctrina ejusdem Basilii, ut constat ex homilia prima Exameron, et aliis locis. Ideoque illa verba vel trahenda sunt ad eundem sanum sensum, vel potius vitanda sunt, cum in græco exemplari non habeantur.

19. *Ad D. Bernardum in num. 3.* — *Ad Chrysostomum ibidem*. — Bernardus autem secundum et sextum sensum simul videtur amplexus, ut in ultimis verbis declaravit. Nam imprimis quod dixerat, merita hominum non esse talia ut jus tribuant, quod si Deus denegaret, esset injustus, postea per hoc ex-

plicat, quod illa merita sunt dona Dei, quæ nos potius faciunt Deo debitores, quam Deum nobis. Quod totum verum est, si merita illa ex parte nostra, et præcisa promissione divina, attendantur, in quo sensu Bernardus loquitur; secus vero si considerentur ut in divino pacto fundata, ut diximus. Deinde quod dixerat, non posse nos mereri æternam vitam, nisi gratis detur et illa, ambiguum est, nam relativum illud, et illa, non videtur ad ipsam vitam æternam referendum, sed ad remissionem peccatorum, de qua loqui inceperat, et ita sensus est planus. Nam fatetur Bernardus condigna merita vitæ æternæ, negat autem posse talia merita haberi, nisi gratia gratis data præcesserit, quod certissimum est. Verumtamen, licet relativum illa, vitam æternam referat, in eundem sensum revolvitur, et ab eodem Bernardo exponitur per id, quod postea dicit, *ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt*. Nam ratione illorum potest dici ipsa vita æterna gratis dari, quia ipsa merita gratis donantur, ut sæpe cum Augustino diximus. Et hoc modo pertinet illa sententia ad sextum sensum supra positum. In eo vero quod Bernardus addit: *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam*, secundum sensum indicat, et juxta illum est interrogatio illa accipienda. Denique Chrysostomus, in loco citato, non tractat de remuneratione vitæ futuræ, sed de abundantia divini auxilii in præsentia vita, ut ex verbis ipsis manifestum est.

CAPUT XXXII.

AN SIT ALIQUOD MERITUM DE CONGRUO DISTINCTUM A MERITO DE CONDIGNO, QUOD SIT VERUM MERITUM HOMINIS APUD DEUM?

1. *Prima opinio Soti negans.* — *Medina illi adhæret.* — Distinximus in hujus libri initio meritum in duo membra, et hactenus primum, quod de condigno appellatur, prosecutsumus; reliquum est ut de altero membro, quod de congruo vocant, disputemus. Et quoniam aliqui Theologi hoc genus meriti rejicere videntur, inquirendum primo est an sit; postea vero quid sit et quod præmium illi correspondeat declarabimus. Ex Scholasticis igitur, Soto, libro 2 de Natura et gratia, capitulo quarto, ex professo conatur ostendere, in nostris operibus nullum esse meritum de congruo, quod in principio probat de operibus bonis moralibus tantum, et sine

auxilio gratiæ factis. Deinde vero, a § *Sed utrum saltem*, etc., idem tradit de operibus factis ex motione gratiæ. Verum est, ibi obiter admittere meritum de congruo in hominibus justis respectu aliorum, quia justus (inquit) potest mereri alteri primam gratiam de congruo, licet non de condigno; unde quando negat meritum de congruo, vel loquitur de opere quo quis sibi meretur, fortasse ductus hoc argumento, quod, si homo est justus, meretur sibi de condigno et non tantum de congruo; si vero est injustus, etiam sibi non potest de congruo mereri; vel certe solum intendit excludere meritum de congruo ab homine ante justificationem; tamen ea, quæ ad hoc suadendum adducit, si valida sunt, absolute in quocumque, et respectu cujuscumque, meritum de congruo impugnant. Unde etiam Medina 1. 2, quæst. 114, art. 6, absolute dixit hoc meritum de congruo, neque verum, neque proprium esse.

2. *Primum Soti fundamentum*, etc. — Fundamentum quod sæpius Soto repetit, est, quia antiqui Patres, et præsertim Augustinus, nunquam hujusmodi meriti distinctionem tradiderunt, neque aliud agnoverunt meritum, nisi cui merces respondet, quod est tantum meritum de condigno. Unde Augustinus, de Prædestinatione Sanctorum, a principio, ex eo quod in Concilio Palæstino Patres tradiderunt gratiam non secundum merita nostra dari, infert non solum Pelagium, sed etiam Semipelagianos illa sententia fuisse damnatos. Hæc autem illatio non esset bona, si admittenda esset distinctio meriti de condigno vel de congruo, quia sine dubio Pelagius de merito condigni locutus est, et ita de eodem esset illa sententia Concilii intelligenda, et consequenter non recte contra Semipelagianos applicaretur, cum illi de merito imperfecto locuti fuerint, ut in prolegomeno quinto, c. 6, dub. 7, vidimus.

3. *Secundum fundamentum ex eodem Augustino.* — Secundo argumentatur Soto, quia in homine peccatore ante justificationem nullum omnino est meritum, secundum Augustinum; ergo contra ejus doctrinam est attribuere peccatori meritum de congruo, ac proinde distinctio illa supervacanea est, et contra mentem Augustini; imo ad hoc solum videtur inventa, ut Augustini sententia eludatur. Antecedens probat pluribus testimoniis Augustini. Primum est libri tertii Hypognosticæ, capite quinto: *Prævenitur homo medicina, id est, Dei gratia, ut sanetur*. Quæ ver-

ba de gratia sanctificante intelligit, et sensum esse, ante hanc gratiam nullum bonum opus aliquo modo meritorium esse posse. Secundum est in lib. de Correctione et gratia, cap. 4, ubi sic ait: *In bono (utique meritorio) liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*; intelligit autem hoc de liberatione a peccato, nam subdit: *Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio*, etc. Tertium est in Epist. 106, ubi generaliter ait: *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; et infra: *Si autem credit in eum, qui justificat impium, ut deputetur fides ejus ad justitiam, profecto antequam gratia justificetur, id est, justus efficiatur, impius quid est, nisi impius? quasi dicat in impio nihil meriti præcedere posse*.

4. *Tertio ex ratione.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Tertio adhibet rationem, quia qui meretur, acquirit jus ad id quod meretur, et si hoc jus non acquiritur, nullum est meritum; sed jus non acquiritur nisi per meritum de condigno; ergo nullum est etiam meritum, nisi sit de condigno. Item merito respondet præmium debitum; sed id quod tantum est dandum ex aliqua congruitate, non potest vere dici debitum; ergo nec meritum de congruo potest esse verum meritum, nam, eo ipso quod additur *de congruo*, destruitur ratio meriti. Tertio, addi potest, quia Deus non potest fieri debitor ad retribuendum aliquod pro opere, nisi promissio sub conditione operis præcedat; ergo sine hac promissione non potest esse meritum. At vero si talis promissio intercedat, jam debitum est de justitia, et meritum de condigno, quia (inquit Soto) inter nos et Deum nulla est alia justitia vel debitum, nisi lex ipsa Dei, qua firmissime statuit jussa sua implentibus præmium retribuere.

5. *Vera sententia affirmans et communis Theologorum.* — Nihilominus dicendum est dari in hominibus respectu Dei aliquod meritum, quod perfectionem meriti de condigno non attingit, et nihilominus in suo ordine verum est meritum, quod de congruo non immerito appellatur. Hæc est communis sententia Theologorum, et propterea Guillelmus Parisiensis, tractat. de Meritis, in principio, dicit illam esse partitionem Magistrorum; et tractat. de Virtutibus, in capite quod incipit: *Nunc au-*